



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

D. Bernardi Primi Clarævallensis Abbatis, Ordinis Cisterciensium Antesignani, melliflui Ecclesiæ Doctoris Sermones In Dominicis & Festa per annum

Bernardus <Claraevallensis>

XCIV. De processu vita Christiana juxta Tropologiam Heliæ Iezabel
fugientis.

urn:nbn:de:hbz:466:1-39254

e Cant. 4. a

Ibidem,

Ibidem,

moveantur, superiores nunquam moveri debent: quia etsi subditi quandoque turbentur, praelatorum est in mente composita perdurare. *Sicut grex tonsarum*, inquit e. Quam bene monachi tonsis ovibus comparantur: quia revera tonsi sunt, quibus nec corda, nec corpora, nec aliquid mundanum in proprietate relictum est. *Quae ascenderunt de lavacro*. Lavacrum baptismus est, de quo ascendit qui ad celsitudinem vitae perfectionis intendit. Descendit autem, qui se vitae mancipat inhonestae. *Omnes gemellis facibus*: quia & verbo pariunt & exemplo, *Et sterilitis non est in eis*, quia nullus est infœcundus.

S E R M O C X I V .

De processu vitae Christianae seu spiritualis juxta Tropologiam
Heliae, Iezabel fugientis.

a Reg. 19. a

Matt. 5. b

Psal. 17. a

Psal. 35. b

Rom. 11. d

Psal. 22. a

Psal. 35. b

TImuit Helias Iezabel a, & surgens abiit quocunque tulit eum voluntas: venitque in Bersabee Iuda, & dimisit ibi puerum suum, & perrexit in desertum. Cumque venisset subter umbram juniperi & sederet, projecit se, & dormivit. Et Angelus Domini tetigit eum, & dixit illi: Surge, & comede. Et respexit: & ecce ad caput suum subcinericis panis, & vas aquae. Comedit ergo & bibit, & ambulavit in fortitudine cibi illius quadraginta diebus, & quadraginta noctibus usque ad montem DEI Oreb. Per Heliam quippe qui interpretatur Dominus, vel Dominus fortis, intelligitur quilibet justus, qui persecutionem patitur propter iustitiam. Unde illud b: *Beati qui persecutionem patiuntur propter iustitiam*. Qui metuens Jezabel, id est malitiam saeculi, vel tyrannidem diaboli, surgit de tentatione peccaminum, & abiit quocunque eum tulerit voluntas à Domino sibi collata. Venitque in Bersabee Iuda, in sanctam Ecclesiam; quae dicitur Bersabee, id est puteus septimus, propter abundantem septiformis Spiritus gratiam, quae inibi fidelibus dividitur: vel puteus satietatis, propter mysteriorum Dei profunditatem, & sanctarum Scripturarum refectioem. De hac profunditate habemus psalmo c: *Tenebrosa aqua in nubibus aeris*, Et rursus d, *Iudicia tua abyssus multa*. Ad eiusdem considerationem Apostolus expavescens, & pavescendo deficiens, clamare compellitur e: *O altitudo divitiarum sapientiae & scientiae Dei*, &c.

De hac satietate legis in psalmo f: *Super aquam refectioem educavit me*, Et item g. *Inebriabuntur ab ubertate domus tuae*. Huiusmodi ebrietas non inducit fastidium, sed indeficientem quibusdam desideriis provocat appetitum. In hoc sacrae lectionis pelago agnus ambulat, & elephas natat. In catholicae doctrinae mensa juxta modulum intelligentiae sufficientes singulis epulae apponuntur. Haec est paradysus deliciarum, hic est hortus omnium pomorum. Veniens itaque in Bersabee in sanctam Ecclesiam, ut dictum est,

est, currit ad confessionem quæ per Judam notatur : & dimittit ibi puerum suum, id est puerilem sensum, vel pristinorum actuum debilitatem, & pergit in desertum, id est istius mundi contemptum. Quo postquam venit, sedet, id est à sæculari tumultu quiescit, cantans cum Propheta ^b : *Hæc requies mea in seculum seculi.* Projicit se, id est vilem se reputat, suis abrenuncians desiderijs, juxta illud evangelicum ⁱ : *Qui vult venire ad me, abneget semetipsum.* Obdormivit in umbra juniperi, quia in atrijs domus Dei secundum sensus corporis vacat omninò ab omnibus pravitatibus, dicens cum Psalmista ^k : *In pace in idipsum dormiam & requiescam.* Tunc angelica visio tangit eum, excitans ad bonum operandum, & ad altiora consurgendum. Respicit ad caput suum, id est ad Christum, qui caput est Ecclesiæ. Et ecce subcinericius panis, id est pastus divini dogmatis, forinsecus quidem rudis, sed medullitus ineffabiliter confortativus & dulcis. Et vas aquæ, hoc est, fons lachrymarum cum cordis compunctione. Comedit & bibit, id est adimplet quæ audit : & pergit in fortitudine ad montem DEI, ad celsitudinem videlicet beatitudinis.

^b Psal. 131. c

ⁱ Luc. 9. c

^k Psal. 4. b

SERMO XCV.

De doctrina amaritudine per prædicatores temperanda.

Erat fames in terra ^a : & filii prophetarum habitabant coram Heliæ, quibus fecit apponi pulmentum. Cùmque gustassent de coctione, exclamarunt : *Mors in olla, vir DEI.* Et non potuerunt comedere. At ille : *Afferte, inquit, farinam.* Et misit in ollam, & ait : *Infunde turbam.* Et comedit : & non fuit quicquam amplius amaritudinis in olla. Fames in terra, penuria verbi Dei in mente humana: filij prophetarum, filij prædicatorum. Propheta interpretatur *videns.* Et sancti prædicatores non abs re prophetæ appellantur: qui & arcana mysteriorum Dei contemplantur : & prout vident mores hominum, adhibent modos curationum. Hæliæ *salus Domini* interpretatur, quo nomine quivis prælatus & doctor Ecclesiæ decenter censetur; cuius salubri persuasione Domini salus populis annunciat, & annunciando impertitur. Hic talis ex debito sui officij apponit subjectis ollam grandem herbas agrestes continentem; id est, admonitionem de gravibus differentem, acerbitate refertam, sed tamen igne S. Spiritus succensam. Subditi ergo perhorrescentes sermonum austeritatē clamant, *Mors in olla:* & non possunt gustare.

^a 4. Reg. 4. d

Sapiens igitur dispensator non affert, imò afferi jubet farinam, quoniam non præbet, sed hortatur habere charitatem, cuius condimento redduntur dulcia quæ prius videbantur amara. Potest namq; prædicator monita salutis auribus circumstantium insonare, sed nemo nisi solus Deus valet saporem charitatis palato cordis infundere. Unde Gregorius : *Nisi sit*

Charitas omnia condit amara.

S. Gregor.
Hom. 30. in
Evang.

intus spiritus qui doceat, doctoris lingua exterius in vacuum laborat. Alius est

Sermones S. Bernardi,

Bbbbb

sapor